

non contemnendas fuisse seditiones, quæ Caracallam ab incæpto dimoverint, & ad simulationem induxerint, idem Spartianus testatur in Caracallâ. *Pars militum apud Albam Getam occisum ægerrime tulit, dicentibus cunctis, duobus se fidem promississe liberis Severi, duobus servare velle, clausisque portis diu Imperator non admissus: eademq; repetit in Getâ. Neque Albanos solum milites tumultum fecisse, verum etiam Urbanos: tradit idem Spartianus in Geta. Ventum denique est usque ad seditionem Urbaniorum militum, quos quidem non levi auctoritate Bassianus compressit, Tribuno eorum, ut alii dicunt, interfecto, ut alii, relegato. Ipse autem tantum timuit, ut lorica sub lato habens clavo etiam curiam sit ingressus, atq; ita rationem facti sui, & necis Geticæ reddiderit. In Senatu quoque, parum æquis auribus suam excusationem acceptam, idem Spartianus scribit in Caracall. In Senatu . . . . questus est de fratris insidiis involute, & incondite ad illius accusationem, sui vero excusationem, quod quidem nec Senatus libenter accepit. Postquam igitur Antoninus crudelitatem infatigabilem non solum in vivo, sed etiam in mortuo fratre exercuisset, quum omnium ordinum animos in se commotos vidisset, ad sedandam multitudinem conversus, fratrem divinis honoribus affecit. Hanc porro simulatæ pietatis causam fuisse aperte testatur idem Spartianus in Getâ. Nam Bassianus, quum eum occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretq; posse mitigari facinus, si Divum fratrem appellaret, dixisse fertur, sit Divus, dum non sit vivus: denique eum inter Divos retulit, atq; ideo utcumq; rediit cum famâ in gratiam Parricida.*

Sed vetulsi lapides quæstionem hanc omnino dirimunt, omnemque tollunt dubitationis ansam, nisi quis cæcutire in meridiana luce velit. Et primo quidem eadem monumenta, quæ Fontianus Plautiani nomine palam supplet, jure mihi expostulare cum eo videntur, quod tam præclara opera privati hominis potius, quam Cæsaris, nomine inscripta esse voluerit. Atque ut exordium habeamus a nobilissimo Arcu in Clivo Capitolino, ejus hæc est Inscriptio (litteras erasarum loco substitutas minio notavimus)

IMP.